

ad Cardinalem Albanensem laudavit. Cyprianus Epist. 63. *Calix Domini non est aqua solum, vel vinum solum; nisi utramque misceatur, . . . non potest vero nobis ignosci, qui nunc a Domino instructi sumus, ut Calicem Domini cum vino mixtum, secundum quod Dominus obtulit, offeramus.* Hieronymus in cap. 14. Marc. *Format sanguinem suum in Calice, vino, & aqua mixtis, ut alio purgemur a vitis, & culpis, alio redimamur a penis.* Ambrosius lib. 4. de Sacramentis cap. 3. *Sermone Christi hoc conficitur Sacramentum, quia sermo Christi creaturam mutat, & sic ex pane fit Corpus Christi, & vinum cum aqua in Calice mixtum fit sanguis, consecratione verbi celestis.* Hoc ex Augustino effectum idem Gaufridus recitat; *Unde & aqua mittitur in Calicem, & fit sanguis consecratione verbi celestis.* Paschasius lib. de Corpore, & Sanguine Domini, hæc habet: *Aqua consecratur, non quod aqua permaneat, sed vertitur in sanguinem.* Hildebertus Cenomanensis in Bibliotheca Patrum tom. 6. *Aqua in sanguinem vertitur, ut populus, qui per aquam figuratur, in melius se mutatum intelligat.* Algerius, qui xi. Seculo scripsit, sic loquitur: *Sed licet in mensa Domini tria constituantur munera, sunt tamen duo, per quæ sacrificatur; est aqua mixta prius vino, sed quando sacatur, non nisi sanguis erit; quo anima intus alatur.* S. Thomas, qui xiii. Seculo floruit, hæc habet: *Quidam dixerunt, quod aqua adjuncta vino per se manet, vino converso in sanguinem: sed hæc opinio stare non potest.*

II. Conclusionis pars probatur etiam testimonio Innocentii III. testificantis, hanc controversiam esse inter Theologos; attamen Ecclesiam neutram reprobasse, nec approbasse, sicut nec ipse approbabat, nec reprobabat; & refertur in cap. cum *Marta*, de Celebratione Missarum. Verba ipsius sunt: *Quæstivi, utrum aqua cum vino in sanguinem convertatur. Super hoc autem opiniones apud Scholasticos variantur: aliquibus enim videtur, quod cum de de latere Christi duo precipue fluxerint Sacramenta, redemptionis in sanguine, ac regenerationis in aqua; in illa duo vinum, & aqua, quæ commiscuntur in Calice, divina virtute mutantur: alii vero tenent, quod aqua non transit in sanguinem, sed remanet prioris vini ac-*

*cidentibus circumfusa:* Cæterum post Innocentium III. tempora nulla legitur de hoc definitio, nec Concilii, nec Romani Pontificis: Si ergo nec Romanus Pontifex, nec Concilium ali-quod definiuit, restat, ut de fide esse nemo arbitretur.

- III. Conclusionis pars I. probatur. Patres asserunt, aquam converti in Christi sanguinem; sed hujusce assercionis tutior, & propria intelligentia est, quod convertatur immediate; aliter dixissent, quod verteretur in vinum, & vinum deinde in sanguinem: ergo vere, ex intelligentia Patrum, aqua vino in Calice mixta, immediate transubstantiatur in Christi sanguinem.
- II. probatur. Si Scholasticis xiii. Seculi notum fuisset, quod aqua prius verteretur in vinum, nullus ex iis negasset, quod verteretur in sanguinem Christi; omnes enim conveniebant, quod vinum in sanguinem Christi mutaretur; ergo si aliqui ex illis negabant, aquam converti in sanguinem; intelligebant de conversione immediata, non vero de mediata.
- III. probatur. Multa experimenta recentiores Philosophi adducunt, quibus ad oculum ostenditur, quod aqua vino permixta a vino separatur: ergo signum est, quod aqua in vinum non convertitur: ergo si in vinum non convertitur, & transubstantiatur in sanguinem Christi, transubstantiari non potest, nisi immediate.
- Obstant I. Eucharistia materia est tantum vinum de vite, & non est aqua: ergo aqua per consecrationem in Christi sanguinem non convertitur. Antecedens est doctrina Eugenii IV. in decreto pro Armenis. II. Illa materia transubstantiatur, cujus species remanent post consecrationem; sed remanent tantum species panis, & vini: ergo vini, & non aqua est, materia Eucharistia: ergo tantum panis, & vinum, & non aqua, in Christi Corpus, & sanguinem convertuntur; minor est doctrina Concilii Tridentini dicentis fest. 13. can. 2. *Manentibus dumtaxat speciebus panis, & vini.* III. Concilium Florentinum jubet, quod aqua in modicissima quantitate in Calice ponatur; sed hoc non aliunde, quã quia supponit aquã non immediate converti in vinum: ergo &c. IV. Innocentius III. refert fundamentum illo-